



# DANIEL BECKERUS,

## DE

### UNGUENTO ARMARIO.

**U**Snea Microcosmi, nil aliud est, quàm muscus ille, qui calvaria humanæ adnascitur : hancque revera dari vel loca sepulchris destinata, docent. Sic Hildanus partem ejus inde desumptam, imò frustum Cranii hum. cui usnea adhuc dum adhærebat, amico transmisit, ut videre est Cent. 3. observ. 38. Utrum v. Usnea hæc in Craniis suspensorum inveniatur, dubitat quidam magni nominis Medico-Chirurgus, qui se nunquam eam reperire potuisse ait, pergitque : Et profecto quomodo Craniis in patibulo ventis, pluviis, grandinibusque impetuosis expositis, usnea adnasci possit, nondum video : Verum vix sufficere videntur hæ rationes ad impugnandam Usneæ generationem in Cranio suspensorum :

Primum enim, quod ipse non observavit, observarunt alii Medici clarissimi : Imò est adhuc nunc aliquod Cranium apud Clarissimum Ducis Borufs. in Regiomont. Pharmacopæum Dn. Casparum Pancerum, exoticis & raris gaudentem, quod ex patibulo fuit desumptum Usnea decoratum :

Deindè : Venti, pluviae, grandines magis disponent solidam Cranii partem, quo Solis radii, in caput totum agentes facilius florem hunc ex ipso cerebro, alias, ut supra dictum, magnarum in Medicina virium, elicere & evocare possint : hinc, teste Tabernæmontan. lib. 2. pag. 488. nonnulli Medici aut Pharmacopæi Cranium aëri locoque humidiorique exponunt, quo sic facilius muscus proveniat.

Tertiò nec impetus eorundem Meteororum generationem hanc impediunt, cum & è locis minus dispositis, imò saxeis, & illis tempestatibus æquè expositis, herbulas egregias enasci videamus :

Enascitur ergò, & adnascitur Muscus, quem Libav. l. 2. Alchym. p. 185. florem Cranii appellat, Craniis strangulatorum, rota contusorum, aut palo